

CAPUT X.

De opinione dicentium, quod Deum esse, demonstrari non potest, cum sit per se notum.

HÆC autem consideratio qua quis nititur ad demonstrandum Deum esse, superflua fortasse quibusdam videbitur, qui asserunt quod Deum esse per se notum est; ita quod ejus contrarium cogitari non possit; & sic Deum esse demonstrari non potest.

1. Quod quidem videtur ex his. Illa enim per se esse nota dicuntur quæ statim notis terminis cognoscuntur, sicut cognitio quid est totum, & quid est pars, statim cognoscitur quod omne totum est majus sua parte. Hujusmodi autem est hoc quod dicimus Deum esse: nam nomine Dei intelligimus aliquid quo majus cogitari non potest. Hoc autem in intellectu formatur ab eo qui audit, & intelligit nomen Dei, ut sic saltem in intellectu jam Deum esse oportet. Nec potest in intellectu solum esse: nam quod in intellectu, & in re est, majus est eo quod in solo intellectu est. Deo autem nihil est majus, ut ipsa nominis ratio demonstrat. Unde restat quod Deum esse, per se notum est, quasi ex ipsa significatione nominis manifestum sit.

2. Item. Cogitari quidem potest quod aliquid sit quod non possit cogitari non esse, quod majus est evidenter eo quod potest cogitari non esse. Sic ergo Deo aliquid majus cogitari posset, si ipse posset cogitari non esse; quod est contra rationem nominis. Relinquitur igitur quod Deum esse, per se notum est.

3. Adhuc. Propositiones illas oportet esse notissimas per se in quibus idem de se ipso prædicatur, ut Homo homo est, vel quarum prædicata in diffinitionibus subjectorum includuntur, ut Homo est animal. In Deo autem hoc præ aliis invenitur, ut infra (cap. XXI.) ostendetur, quod suum esse est sua essentia: ac si idem sit quod responderetur ad quæstionem *quid est*, & ad quæstionem *an est*. Sic ergo cum dicitur, Deum esse, prædicatum vel est idem subjecto, vel saltem in diffinitione subjecti includitur; & ita Deum esse, per se notum erit.

4. Amplius. Quæ naturaliter sunt nota, per se cognoscuntur: non enim ad ea cognoscenda inquisitionis studio pervenitur. Deum autem esse, naturaliter notum est, cum in Deum naturaliter desiderium hominis tendat sicut ad ultimum finem, ut infra (Lib. III. cap. XXV.) patebit. Est igitur per se notum Deum esse.

5. Item. Illud per se notum oportet esse quo omnia alia cognoscuntur. Deus autem hujusmodi est; sicut enim lux Solis principium est omnis visibilis perceptionis, ita divina lux omnis intelligibilis cognitionis principium est; cum sit in quo primum maxime lumen intelligibile invenitur. Oportet igitur quod Deum esse, per se notum sit. Ex his igitur, & similibus aliqui opinantur, Deum esse, sic per se notum existere, ut contrarium mente cogitari non possit.

CAPUT XI.

Reprobatio præmissæ opinionis, & solutio rationum præmissarum.

Predicta autem opinio provenit partim quidem ex consuetudine qua à principio homines as-

sueti sunt nomen Dei audire, & invocare: consuetudo autem, & præcipue quæ est à principio, vim naturæ obtinet: ex quo contingit ut ea quibus à pueritia animus imbuitur, ita firmiter tenentur ac si essent naturaliter & per se nota. Partim vero contingit ex eo quod non distinguitur quod est notum per se simpliciter, & quod quoad nos notum est. Nam simpliciter quidem Deum esse, per se notum est, quum hoc ipsum quod Deus est, sit suum esse. Sed quia hoc ipsum quod Deus est, mente concipere non possumus, remanet ignotum quoad nos, sicut omne totum sua parte majus esse, per se notum est simpliciter; ei autem qui rationem totius mente non conciperet, oporteret esse ignotum: & sic fit ut ad ea quæ sunt notissima rerum, noster intellectus se habeat ut oculus nocturnæ ad Solem, ut II. Metaphysic. text. I. dicitur.

Nec oporteret ut statim cognita hujus nominis *Deus* significatione, Deum esse sit notum, ut prima ratio intendebat. Primo quidem quia non omnibus notum est, etiam concedentibus Deum esse, quod Deus sit id quo majus cogitari non possit; cum multi antiquorum mundum istum dixerint Deum esse. Nec etiam ex interpretationibus hujus nominis *Deus* quas Damascenus ponit, aliquid hujus intelligi datur. Deinde quia dato quod ab omnibus per hoc nomen *Deus* intelligatur aliquid quo majus cogitari non possit, non necesse erit aliquid esse quo majus cogitari non potest in rerum natura. Eodem enim modo necesse est poni rem, & nominis rationem. Ex hoc autem quod mente concipitur quod profertur hoc nomine *Deus*, non sequitur Deum esse nisi in intellectu. Unde nec oportebit id quod majus cogitari non potest, esse in intellectu; & ex hoc non sequitur quod sit aliquid in rerum natura quo majus cogitari non possit, & sic nullum inconueniens accidit ponentibus, Deum non esse. Non enim inconueniens est quolibet dato vel in re, vel intellectu, aliquid majus cogitari posse, nisi ei qui concedit esse aliquid quo majus cogitari non possit in rerum natura.

Nec etiam oportet, ut secunda ratio proponebat, Deo posse aliquid majus cogitari, si potest cogitari non esse. Nam quod possit cogitari non esse, non ex imperfectione sui esse est, vel incertitudine, cum suum esse sit secundum se manifestissimum, sed ex debilitate nostri intellectus, qui eum intueri non potest per se ipsum, sed ex effectibus ejus. Et sic ad cognoscendum ipsum esse, ratiocinando perducitur.

Ex quo etiam tertia ratio solvitur. Nam sicut nobis per se notum est quod totum sua parte sit majus, sic videntibus ipsam divinam essentiam per se notissimum est Deum esse, ex hoc quod sua essentia est suum esse. Sed quia ejus essentiam videre non possumus, ad ejus esse cognoscendum non per se ipsum, sed per ejus effectus pervenimus.

Ad quartam etiam patet solutio. Sic enim homo naturaliter Deum cognoscit, sicut naturaliter ipsum desiderat. Desiderat autem ipsum homo naturaliter, in quantum desiderat naturaliter beatitudinem, quæ est quædam similitudo divinæ bonitatis. Sic igitur non oportet quod Deus ipse in se consideratus, sit naturaliter notus homini, sed similitudo ipsius. Unde oportet quod per ejus similitudines in effectibus repertas in cognitionem ipsius homo ratiocinando perveniat.

Ad quintam etiam de facili patet solutio. Nam Deus est quidem in quo omnia cognoscuntur, non ita quod alia non cognoscantur nisi eo cognito, sicut in principiis per se notis accidit, sed quia per ejus influentiam omnis causatur in nobis cognitio.

CAPUT XII.

De opinione dicentium, quod Deum esse sola fide tenetur, & demonstrari non potest.

EST autem quædam aliorum opinio prædictæ positioni contraria, per quam etiam inutilis redederit conatus probare intendentium, Deum esse. Dicunt enim, quod Deum esse, non potest per rationem inveniri; sed per solam viam fidei, & revelationis est acceptum.

Ad hoc autem dicendum moti sunt quidam propter debilitatem rationum, quas aliqui inducebant ad probandum Deum esse.

1. Posset tamen hic error fulcimentum aliquid falso sibi assumere ex quorundam Philosophorum dictis, qui ostendunt, in Deo per rationem idem esse essentiam, & esse, scilicet id quod responderetur ad *quid est*, & ad quæstionem *an est*. Via autem rationis perveniri non potest, ut sciatur de Deo quid est: unde nec ratione videtur posse demonstrari, an Deus sit.

2. Item. Si principium ad demonstrandum *an est*, secundum artem Philosophi, oportet accipere quid significet nomen; ratio vero significata per nomen est diffinitio secundum Philosophum in IV. Metaphysic. text. XXVIII. nulla igitur remanebit via ad demonstrandum Deum esse, remota divinæ essentia, vel quidditatis cognitione.

3. Item. Si demonstrationis principia à sensu cognitionis originem sumunt, ut in posterioribus (text. XXXIII.) ostenditur, ea quæ omnem sensum, & sensibilia excedunt, videntur indemonstrabilia esse. Hujusmodi autem est Deum esse. Est igitur indemonstrabile.

Hujusmodi autem sententiæ falsitas nobis ostenditur tum ex demonstrationis arte, quæ ex effectibus causas concludere docet: tum ex ipso scientiarum ordine: nam si non sit aliqua scibilis substantia supra substantiam sensibilem, non erit aliqua scientia supra naturalem, ut dicitur in IV. Metaphysic. text. VII. tum ex Philosophorum studio, qui Deum esse demonstrare conati sunt: tum etiam apostolica veritate asserente Rom. I. 20. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

Nec hoc debet movere quod in Deo idem est essentia, & esse; ut prima ratio proponebat. Nam hoc intelligitur de esse, quo Deus in se ipso subsistit, quod nobis quale sit, ignotum est, sicut ejus essentia; non autem intelligitur de esse quod significat compositionem intellectus: sic enim esse Deum, sub demonstratione cadit, dum ex rationibus demonstrativis mens nostra inducitur hujusmodi propositionem de Deo formare, qua exprimat Deum esse.

In rationibus autem in quibus demonstratur Deum esse, non oportet assumi pro medio divinam essentiam, sive quidditatem; ut secunda ratio proponebat, sed loco quidditatis accipitur pro medio effectus, sicut accidit in demonstrationibus *quia*; & ex hujusmodi effectu sumitur ratio hujus nominis *Deus*. Nam omnia divina nomina imponuntur vel ex remotione effectuum divinatorum ab ipso, vel ex aliqua habitudine Dei ad suos effectus.

Patet etiam ex hoc quod nisi Deus sensibilia omnia, & sensum excedat, ejus tamen effectus, ex quibus demonstratio sumitur ad probandum Deum esse, sensibiles sunt; & sic nostræ cognitionis origo in sensu est etiam de his quæ sensum excedunt.

CAPUT XIII.

Rationes ad probandum Deum esse.

Ostenso igitur quod non est vanum niti ad demonstrandum Deum esse, procedamus ad ponendum rationes quibus tam Philosophi, quam Doctores catholici Deum esse probaverunt.

Primo autem ponemus rationes quibus Aristoteles procedit ad probandum Deum esse, qui hoc probare intendit ex parte motus duabus viis.

Quarum prima talis est. Omne quod movetur, ab alio movetur. Patet autem sensu aliquid moveri, ut puta Solem. Ergo alio movente movetur. Aut ergo illud movens movetur, aut non. Si non movetur, ergo habemus propositum, quod necesse est ponere aliquid movens immobile, & hoc dicimus Deum. Si autem movetur, ergo ab alio moventi movetur. Aut ergo est procedere in infinitum, aut est devenire ad aliquid movens immobile. Sed non est procedere in infinitum. Ergo necesse est ponere aliquid primum movens immobile.

In hac autem probatione sunt duæ propositiones probandæ, scilicet quod omne motum movetur ab alio, & quod in moventibus, & motis non sit procedere in infinitum. Quorum primum probat Philosophus tribus modis.

Primo sic. Si aliquid movet se ipsum, oportet quod in se habeat principium motus sui, aliter manifeste ab alio moveretur. Oportet etiam quod sit primo motum, scilicet quod moveatur ratione sui ipsius, & non ratione suæ partis, sicut movetur animal per motum pedis: sic enim totum non moveretur à se, sed à sua parte, & una pars ab alia. (Hec ratio habetur VII. Physic. in princ.) Oportet etiam ipsum divisibile esse, & habere partes, cum omne quod movetur, sit divisibile, ut probatur in VI. Physicorum (text. comm. XXXII. & LXXXVIII.) His suppositis, sic arguit.

Hoc quod à se ipso ponitur moveri, est primo motum. Ergo ad quietem unius partis ejus non sequitur quies totius. Si enim quiescente una parte, alia pars ejus moveretur; tunc ipsum totum non esset primo motum, sed pars ejus quæ movetur, alia quiescente. Nihil autem quod quiescit quiescente alio, movetur à se ipso: cuius enim quies ad quietem sequitur alterius, oportet quod motus ad motum alterius sequatur; & sic non movetur à se ipso. Ergo hoc quod ponebatur à se ipso moveri, non movetur à se ipso: necesse est ergo omne quod movetur, ab alio moveri.

Nec obviat huic rationi quod forte aliquis posset dicere, quod ejus quod ponitur movere se ipsum, pars non potest quiescere: & iterum quod partis non est quiescere, vel moveri, nisi per accidens, ut Avicenna calumniatur (Lib. II. Suffic. cap. I.) Quia vis rationis in hoc consistit quod si aliquid se ipsum moveat primo & per se, non ratione partium, oportet quod suum moveri non dependeat ab alio. Moveri autem ipsius divisibilis, sicut & ejus esse, dependet à partibus; & sic non potest se ipsum movere primo & per se. Non requiritur ergo ad veritatem conditionalis inductæ quod supponat partem moventis se ipsum quiescere, quasi quoddam verum absolute; sed oportet hanc conditionalem esse veram, quod si quiesceret pars, quiesceret totum: quæ quidem potest esse vera; etiam si antecedens sit impassibile; sicut ista conditionalis est vera: Si homo est asinus, est irrationalis.

2. Secundo probat per inductionem sic. (VIII. Physic. text. comm. xxv. i. & infra.) Omne quod movetur per accidens, non movetur à se ipso, movetur enim ad motum alterius; similiter neque quod movetur per violentiam, ut manifestum est; neque quæ moventur per naturam, ut ex se mota, sicut animalia quæ constat ab anima moveri, nec iterum quæ moventur per naturam, ut gravia, & levia, quia hæc moventur à generante, & removente prohibens. Omne autem quod movetur, aut movetur per se, aut per accidens. Si per se, vel per violentiam, vel per naturam; & hoc vel motum ex se, ut animal, vel non motum ex se, ut grave, & leve. Ergo omne quod movetur, ab alio movetur.

Tertio probat sic. (VIII. Physic. text. comm. xxx.) Nihil idem est simul in actu, & in potentia respectu ejusdem. Sed omne quod movetur, in quantum hujusmodi, est in potentia, quia motus est actus existentis in potentia, secundum quod hujusmodi: omne autem quod movet, est in actu, in quantum hujusmodi, quia nihil agit nisi secundum quod est in actu. Ergo nihil est respectu ejusdem actu movens, & motum. Et sic nihil movet se ipsum.

Sciendum autem, quod Plato (de legibus) qui posuit omne movens moveri, communius accepit nomen motus quam Aristoteles. Aristoteles enim (III. Physic. text. comm. vi.) proprie accipit motum, secundum quod est actus existentis in potentia secundum quod hujusmodi, qualiter non est nisi divisibilem; & corporum, ut probatur in VI. Physicorum, text. comm. xxxi. Secundum Platonem autem motum movens se ipsum non est corpus: accipiebat enim motum pro qualibet operatione, ita quod intelligere, & operari sit quoddam moveri: quem etiam modum loquendi Aristoteles tangit in III. de Anima (text. com. xx. Secundum hoc ergo dicebat, primum movens se ipsum movere quod intelligit se, & vult, vel amat se; quod in aliquo non repugnat rationibus Aristotelis. Nihil enim differt devenire ad aliquod primum quod movet se secundum Platonem, & devenire ad primum quod omnino sit immobile secundum Aristotelem.

Aliam autem propositionem, scilicet quod in moventibus, & motis non sit procedere in infinitum, probat tribus rationibus.

Quarum prima talis est. (VII. Physic. à text. comm. iiii. usque ad x.) Si in motoribus, & motis proceditur in infinitum, oportet omnia hujusmodi infinita corpora esse, quia omne quod movetur, est divisibile, & corpus, ut probatur in VI. Physic. (text. com. xxxi. & infra.) Omne autem corpus quod movet motum, simul dum movet, movetur. Ergo omnia ista infinita simul moventur, dum unum eorum movetur. Sed unum eorum, cum sit finitum, movetur tempore finito. (VII. Physic. text. comm. viii. & infra.) Ergo omnia illa infinita moventur tempore finito. Hoc autem est impossibile. Ergo impossibile est quod in motoribus, & motis procedatur in infinitum. Quod autem sit impossibile quod infinita prædicta moveantur tempore finito, sic probat. Movens, & motum oportet esse simul, ut probat inducendo in singulis speciebus motus. Sed corpora non possunt simul esse nisi per continuitatem, vel contiguationem. Cum ergo omnia prædicta moventia, & mota sint corpora, ut probatum est; oportet quod sint quasi unum mobile per continuationem, vel contiguationem; & sic unum infinitum movebitur tempore finito; quod est impossibile, ut probatur VI. Physic. (à text. comm. lx.) usque ad lxxv.

Secunda ratio ad idem probandum talis est. (VIII. Physic. text. comm. xxxi. & xxxiv.) In moventibus, & motis ordinatis, quorum scilicet unum per ordinem ab alio movetur, hoc necesse est inveniri quod remoto primo movente, vel cessante à motione, nullum aliorum movebit, neque movebitur: quia primum est causa movendi omnibus aliis. Sed si sunt moventia, & mota per ordinem in infinitum, non erit aliquod primum movens, sed omnia erunt quasi media moventia. Ergo nullum aliorum poterit moveri; & sic nihil movebitur in mundo.

Tertia probatio in idem redit, nisi quod est ordine transmutato, incipiendo scilicet à superiori, & est talis. (VIII. Physic. text. xxxv.) Id quod movet instrumentaliter, non potest movere, nisi sit aliquid quod principaliter moveat. Sed si in infinitum procedatur in moventibus, & motis, omnia erunt quasi instrumentaliter moventia, quia ponentur sicut moventia mota; nihil autem erit sicut principale movens. Ergo nihil movebitur. Et sic patet probatio utriusque propositionis, quæ supponebatur in prima demonstrationis via, qua probat Aristoteles esse primum motorem immobilem.

Secunda via talis est. (VIII. Physic. text. comm. xxxvi.) Si omne movens movetur, aut hæc propositio est vera per se, aut per accidens. Si per accidens: ergo non est necessaria. Quod enim est per accidens verum, non est necessarium. Contingens est ergo, nullum movens moveri. Sed si movens non movetur, non movet, ut adversarius dicit. Ergo contingens est, nihil moveri: nam si nihil movet, nihil movetur. Hoc autem habet Aristoteles pro impossibili, quod scilicet aliquando nullus motus sit. Ergo primum non fuit contingens, quia ex falso contingenti non sequitur falsum impossibile; & sic hæc propositio. Omne movens movetur, non fuit per accidens vera.

Item. (VIII. Physic. text. comment. xxxvii.) Si aliqua duo sunt juncta per accidens in aliquo, & unum illorum invenitur sine altero, probabile est quod alterum absque illo inveniri possit, sicut si album, & musicum inveniuntur in Sorte, & Platone, & invenitur musicum absque albo, probabile est quod in aliquo alio possit inveniri album absque musico. Si igitur movens, & motum conjunguntur in aliquo per accidens, motum autem invenitur in aliquo absque eo quod moveat, probabile est quod movens inveniat absque eo quod movetur.

Nec contra hoc potest fieri instantia de duobus, quorum unum ab altero dependet, sed non è contrario, ut patet de substantia, & accidente: hæc enim conjunguntur per se, non per accidens. Si autem prædicta propositio est vera per se, similiter sequitur impossibile, vel inconveniens; quia vel oportet quod movens moveatur eadem specie motus qua movet, vel alia. Si eadem, ergo oportebit quod alterans alteretur, & ulterius quod sanans sanetur, & quod docens doceatur etiam secundum eandem scientiam. Hoc autem est impossibile: nam docentem necesse est habere scientiam, addiscentem vero necesse est non habere; & sic idem habebitur ab eodem, & non habebitur: quod est impossibile. Si autem secundum aliam speciem motus moveatur, ita scilicet quod alterans moveatur secundum locum, & movens secundum locum augeatur, & sic de aliis; cum sint finita genera, & species motus; sequetur quod non sit abire in infinitum, & sic erit aliquod primum movens quod non movetur ab alio.

Nisi forte aliquis dicat, quod fiat reflexio hoc modo, quod completis omnibus generibus motus, ite-

iterum oportet redire ad primum, ut si movens secundum locum alteretur, & alterans augeatur, iterum augeatur moveatur secundum locum. Sed ex hoc sequeretur idem quod prius, scilicet quod id quod movet secundum aliquam speciem motus, secundum eandem moveatur, non immediate, sed mediate. Relinquitur ergo quod oportet ponere aliquod primum, quod non moveatur ab aliquo exteriori.

Quia verò hoc habito, scilicet quod sit primum movens quod non moveatur ab aliquo exteriori, non sequitur quod sit penitus immobile; ideo ulterius procedit Aristoteles dicendo (VIII. Physic. text. comm. xxxvii.) quod hoc potest esse dupliciter. Uno modo ita quod illud primum sit penitus immobile: quo posito habetur propositum, scilicet, quod sit aliquod primum movens immobile. Alio modo quod illud primum moveatur à se: & hoc videtur probabile, quia quod est per se, semper est prius eo quod est per aliud: unde & in motis primum motum rationabile est per se ipsum moveri, non ab alio. Sed hoc dato, iterum idem sequetur. Non enim potest dici, quod movens se ipsum, totum moveatur à toto, quia sic sequerentur prædicta inconvenientia, scilicet quod aliquis simul doceret, & doceretur, & similiter in aliis motibus; & iterum quod aliquid simul esset in actu, & in potentia: nam movens in quantum hujusmodi est actu, motum vero in potentia. Relinquitur ergo quod una pars ejus est movens tantum, & altera mota; & sic habetur idem quod prius, scilicet quod aliquid sit movens immobile.

Non autem potest dici, quod utraque pars moveatur, ita quod una ab alia, neque quod una pars moveat se ipsam, & moveat alteram, neque quod totum moveat partem, neque quod pars moveat totum: quia sequerentur præmissa inconvenientia, scilicet quod aliquid simul moveret, & moveretur secundum eandem speciem motus, & quod simul esset in potentia, & actu; & ulterius quod totum non esset primo movens se, sed ratione partis (VIII. Physic. text. comm. v.) Relinquitur ergo quod movens se ipsum oportet unam partem esse immobilem, & moventem aliam partem.

Sed quia in moventibus se, quæ sunt apud nos, scilicet in animalibus, pars movens, scilicet anima, etsi sit immobilis per se, movetur tamen per accidens; ideo ulterius ostendit, quod primi moventis se ipsum pars movens non movetur neque per se, neque per accidens: moventia enim se quæ sunt apud nos, scilicet animalia, cum sint corruptibilia, pars movens in eis movetur per accidens. Necesse est autem moventia se corruptibilia reduci ad aliquod primum movens se quod sit sempiternum. Necesse ergo est aliquem motorem esse alicujus moventis se ipsum, qui neque per se, neque per accidens moveatur.

Quod autem necesse sit secundum suam positionem aliquod movens se ipsum, sempiternum esse, patet. Si enim motus est sempiternus, ut ipse supponit (ubi supra text. xlvi., & infra,) oportet quod generatio moventium se ipsa, quæ sunt generabilia, & corruptibilia, sit perpetua. Sed hujus perpetuitatis non potest esse causa aliquod ipsorum moventium se, quia non semper est; nec simul omnia tum quia infinita essent, tum quia non sunt simul. Relinquitur ergo quod oportet esse aliquod movens se ipsum perpetuum, quod causat perpetuitatem generationis in his inferioribus moventibus se; & sic motor ejus non movetur neque per se, neque per accidens.

(1) An per appetitum.

Item. In moventibus se videmus quod aliqua incipiunt de novo moveri propter aliquem motum, quod non moventur à se ipsis, sicut animal cum excitatur à somno, digesto cibo, aut aere alterato: quo quidem motu ipse motor movens se ipsum, movetur per accidens. Ex quo potest accipi quod nullum movens se ipsum movetur semper, cujus motor movetur per se, vel per accidens. Primum movens se ipsum movetur semper; alias non posset esse motus sempiternus, cum omnis alius motus à motu primi moventis se ipsum causetur. Relinquitur igitur quod primum movens se ipsum, movetur à motore qui non movetur neque per se, neque per accidens.

Nec est contra hanc rationem quod motores inferiorum orbium movent motum sempiternum, & rationem dicuntur moveri per accidens: quia dicuntur moveri per accidens, non ratione sui ipsorum, sed ratione suorum mobilium, quæ sequuntur motum superioris orbis.

Sed quia Deus non est pars alicujus moventis se ipsum, ulterius Aristoteles in sua Metaph. Lib. XII. comm. xxxvi. investigat ex hoc motore, qui est pars moventis se ipsum, alium motorem separatam omnino, qui est Deus. Cum enim omne movens se ipsum moveatur per appetitum, oportet quod motor qui est pars moventis se ipsum, moveat (1) propter appetitum alicujus appetibilis, quod est eo superius in movendo: nam appetens est quodammodo movens motum, appetibile autem est movens omnino non motum. Oportet igitur esse primum motorem separatam omnino immobilem, qui Deus est.

Prædictos autem processus duo videntur infirmare. Quorum primum est, quod procedunt ex suppositione æternitatis motus, quod apud Catholicos supponitur esse falsum.

Et ad hoc dicendum, quod via efficacissima ad probandum Deum esse, est ex suppositione novitatis mundi, non autem sic ex suppositione æternitatis mundi, qua posita, minus videtur esse manifestum quod Deus sit. Nam si mundus, & motus de novo incipit, planum est quod oportet poni aliquam causam quæ de novo producat mundum, & motum: quia omne quod de novo fit, ab aliquo innovatore oportet sumere originem, cum nihil educat se de potentia in actum, vel de non-esse in esse.

Secundum est, quod supponitur in prædictis demonstrationibus primum motum, scilicet corpus celeste, esse motum ex se: ex quo sequitur ipsum esse animatum, quod à multis non conceditur.

Et ad hoc dicendum est, quod si primum movens non ponitur motum ex se, oportet quod moveatur immediate à penitus immobili. Unde etiam Aristoteles sub divisione hanc conclusionem inducit, quod scilicet oportet vel statim devenire ad primum movens immobile separatam, vel ad movens se ipsum; ex quo statim devenitur ad movens primum immobile separatam. Procedit autem Philosophus alia via in II. Metaph. text. comm. vi. ad ostendendum non posse procedi in infinitum in causis efficientibus, sed esse deveniendum ad unam causam primam; & hanc dicimus Deum: & hæc via talis est. In omnibus causis efficientibus ordinatis primum est causa mediæ, & medium est causa ultimi; sive sit unum, sive sint plura media. Remota autem causa, removetur id cuius est causa. Ergo remoto primo, medium causa esse non poterit. Sed si procedatur in causis efficien-

B

ti-